



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, E Societate Iesv, In
Collegio Romano Eivsdem Societatis olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis. Disputationes
Scholasticæ De Incarnatione Dominica**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1653

Sect. 1. An & qualis fuerit infusa in Christo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81011)

Sola comprehensione causae secundae eos non cognosceret quidditatiue: aliunde tamen quatenus Christus cognoscebat quidditatiue causam primam, & virtutem eius, habebat sufficiens medium ad cognoscendos quidditatiue hos effectus ex cognitione quidditatiua totius causae adaequatae, licet non comprehensiuam totius, sed solius causae secundae, & quidditatiua causae primae.

Habemus ergo, Christum comprehendendo causas secundas existentes cognouisse in ipsis infinitos numero effectus substantiales, non tamen infinitas species. Dubitari potest de effectibus accidentalibus, an in aliqua causa creata existenti, quam comprehendebat, cognouerit infinitos effectus specie diuersos? Et quidem si sit aliqua causa creata cum ordine determinato, & distincto ad eiusmodi effectus, non apparet, cur negari debeat Christo ea cognitio. An vero detur talis virtus in aliqua causa creata, magis spectat ad phisicos. Mihi credibile est, dari aliquam causam cum tali virtute, in qua possint cognosci infinitae species effectuum possibilium. Nam intellectus Angeli se solo potest cognoscere substantiam Angeli concurrente ipso Angelo per modum obiecti: rursus idem intellectus cum hac cogitatione directa potest reflexe cognoscere illam primam cognitionem, & quidem hac secunda differt specie a prima. nam prior habebat pro obiecto directo Angelum, posterior vero habet pro obiecto directo cognitionem Angeli, quae differt specie ab Angelo. Sic potest facere postea aliam tertiam cognitionem reflexam, qua cognoscat secundam, & hac tertia differt etiam specie a secunda, quia secunda habet pro obiecto cognitionem Angeli; tertia vero habet pro obiecto cognitionem cognitionis Angeli quae duo erant diuersa specie, vt vidimus, & sic deinceps poterit facere aliam, & aliam reflexionem, supra praecedentem absque villo termino, quae omnes differunt specie inter se, cum habeant obiecta diuersa in specie: haec autem omnes possunt cognosci distincte ab eo qui bene comprehendit Angelum, & eius virtutem. nam in ipso continentur, vt causa adaequata, quia sine aliqua specie superaddita Angelus potest cognoscere seipsum, & instructus hac cognitione potest elicere secundam cognitionem, & cum hac potest tertiam, & sic deinceps, ergo comprehendendo virtutem Angeli, & eius effectus possunt illa cognosci infiniti effectus accidentales specie diuersi.

An vero Christus cognoscat omnes res possibiles ex perfectissima visione potentiae Dei, pederet ex alio principio; an sit possibilis talis cognitio omnium possibilium sine comprehensione Dei? Aliqui enim volunt, id esse possibile, & consequenter admittent eius cognitionem de facto in Christo. Alij communiter negant: & adducunt pro se censuram Inquisitorum Tarraconae contra Arnaldum de Villanoua, qui dicebat, animam Christi scire omnia, quae cumque scit Deus, vt refertur in directorio Inquisitorum 2. p. q. 11. quam propositionem damnarunt Inquisitores. Ceterum ad hanc censuram auctores contrariae sententiae respondent in primis non esse a Pontifice, vel Concilio aliquo confirmatam, imo factam inconsulto Pontifice, vt ibidem notatur, deinde dicunt, ibi non damnari eam propositionem nude sumptam, sed cum ratione simul, quae eam Arnaldum

Card. de Lugo de Incarnat.

eius probabat; dicebat enim, animam Christi ea omnia cognoscere, quia alias non poterat consistere vnio hypostatica, & quia cognitio non pertinet ad naturam, sed ad suppositum, in quo videtur sapere errorem Monothelitarum. Ceterum totum hoc, vt praedixi, pertinet ad materiam de visione Dei.

Potest tamen vltimo dubitari an, esto repugnet, Christum cognoscere omnia possibilis, cognoscat tamen de facto infinitas species diuersas rerum possibilium, praeter illas, quas cognoscit in comprehensione causarum nunc existentium? Potest enim cognoscere infinitas species, licet non cognoscat omnes possibilis. Ceterum hoc etiam pertinet ad materiam de visione, nam quod ibi dictum fuerit loquendo de possibili circa omnes Beatos; hoc dicendum est de facto respectu Christi. Hoc vnum certum videtur, non sequi ex eiusmodi cognitione comprehensionem Dei, cum restare possent adhuc incognitae aliae infinitae species possibilis aliorum generum, absque vlla proportionem ad ea, quae cognoscuntur.

47
Alia dubitatio
de cognitione
Domini.

DISPUTATIO XX.

De scientia infusa Christi.

SECTIO I. An, & qualis fuerit scientia infusa in Christo.

SECT. II. De obiecto scientiae infusae.

SECT. III. An in vnione ipsa hypostatica tanquam in medio potuerit Christus cognoscere mysterium Trinitatis.

SECT. IV. De habitu necessario ad vsum huius scientiae.

SECT. V. De speciebus necessarijs ad vsum scientiae infusae.

SECTIO VI. De proprietatibus scientiae infusae.

CVM S. Thom. in praesenti q. 11. quatuor breuiter inquirenda sunt. Primum, an fuerit haec scientia in Christo. Secundum ad quae obiecta terminatur. Tertium de principiis huius cognitionis. Quartum de proprietatibus huius scientiae.

SECTIO I.

An, & qualis fuerit scientia infusa in Christo.

SUPpono, dupliciter dici aliquam scientiam infusam, scilicet, vel per se, vel per accidens. Per se infusa dicitur, quae ex se postulat infundi praeter, imo & supra exigentiam subiecti. Per accidens vero infusa dicitur, quae alias poterat conaturaliter esse in hoc subiecto; sed tamen hic, & nunc datur praeternaturaliter, sicut visus caeco restitutus, licet in sua entitate sit naturalis, non tamen datur naturaliter. Quaestio ergo praesens praecipue versatur circa scientiam per se infusam priori modo. Et quidem haec acceptio adhuc latius extendi potest ad scientiam beatam, seu visionem Dei, quae quidem dici potest infusa, cum sit supra omnem obiecti exigentiam. Ceterum in praesenti scientia infusa accipitur magis stricte pro

I
Suppositio christi
scientiam
infusam.

bb 3 cogni

cognitione rerum extra Verbum, & prout con-
distinguitur à scientia beata. Denique hæc scien-
tia duplex esse potest, scilicet actualis, vel habi-
tualis, & utraque dici potest infusa, quia licet ha-
bitus soli infundantur à solo Deo; actus verò
fiant etiam ab intellectu, adhuc tamen ipsi actus
dicuntur infusi, quatenus fiunt ab intellectu ele-
uato per virtutem superiorem sibi omnino inde-
bitam, licet non sine concursu immediato ipsius
intellectus.

2

*Sententia ali-
quorum in
præsentia qua-
stione.
Bonavent.
Alen. Alm.
Gabriel.
Vasquez.*

Hoc ergo supposito, aliqui negant in Christo
aliam scientiam infusam præter scientiam bea-
tam. Ita Bonau. Alen. Almain. Gabr. & alij apud
Suarez *diff. 23. sect. 3.* quia per scientiam beatam
habet omnem notitiam rerum, quam per infusam
habere potest, ut quid ergo multiplicandæ sunt
tot scientiæ in Christo circa eadem objecta.

Ab hac sententia non multum distat P. Vasq.
in præsentia, *diff. 52. c. 1.* nam licet concedat sim-
pliciter scientiam per se infusam in Christo: eam
tamen dicit esse naturalem, prout terminatur ad
objecta naturalia, & non differre ab ea, quam ha-
beret anima separata circa eadem objecta; quare
licet fuerit infusa Christo, non tamen videtur
omnino per se ipsa, id est, ex natura sua non pe-
tebat infundi subiecto circa eius exigentiam,
quam sententiam quoad objecta naturalia vide-
tur etiam sequi Lorca in præsentia, & alij.

Lorca.

3

*Aliterum co-
muniore, &
probabilior.
S. Thom.*

Communior, & probabilior Theologorum
sententia concedit in Christo scientiam per se
infusam distinctam à beata. ita S. Thom. & alij,
quos refert, & sequitur Suarez ubi supra, qui be-
ne fateatur, oppositam sententiam nullam prorsus
mereri censuræ notam. Nam licet omnes debeant
admittere in Christo aliquam scientiam, etiam in
infantia: quod tamen hæc fuerit diuersa à beata;
vel quod fuerit etiam infusa per se, & non per
accidens, non videtur colligi efficaciter ex Scri-
ptura, vel Patribus; nam quicquid apud ipsos ha-
betur de scientia Christi, qua omnia nouerat, qua
cogitationes, & secreta cordium callebat, qua
prædicebat futura, & alia similia, facile de scien-
tia beata possunt intelligi.

4

*Probatur pri-
mo.*

Ratione verò probari solet communiter hæc
sententia, quia Christus non solum fuit compre-
hensor, sed viator; ergo non solum habuit scien-
tiam beatam, quæ est comprehensoris, sed etiam
aliam, quæ esset propria viatoris, & per quæ pos-
set mereri. Hæc ratio impugnari solet, quia scien-
tia viatoris ea esse potest, quæ sufficit ad elicien-
dum actus liberos, quibus possit mereri: scientia
autem beata sufficit ad hoc, nam licet determinet
omnino ad actum dilectionis Dei, non tamen de-
terminat ad amorem cuiuscumque objecti secun-
darii quod in Deo videtur; ergo poterit Christus
ex illa visione prodire in aliquos actus liberos
circa plura objecta secundaria: nec inconueniens
erit, non posse Christum amare Deum liberè quia
multi de facto negant Christo amorem liberum
Dei, etiam posita scientia infusa. Et licet conce-
datur aliquis amor liber, quo Christus ex chari-
tate volebat Deo bona extrinseca; hic tamen
actus potest bene procedere ex scientia beata sic-
ut Deus ex visione clara sui vult sibi liberè ali-
qua bona extrinseca.

5

*Probatur se-
cundo.*

Secundò ergo, & à priori possumus probare
hanc sententiam, quia Christus, licet quod atti-
neret ad corpus, & eius passiones esset viator; sed

tamen quoad animam erat verè comprehensor,
atque adeo eius animæ debebatur cognitio, qua-
lem habent animæ beatæ, siue à corpore separa-
te, siue coniuncte: certum autem est, huiusmodi
animas separatas habere cognitionem rerum in
seipsis, cognoscunt enim obiectum instar Ange-
lorum per species proprias, & quidditativas, quod
genus cognitionis non perdet ex vnione ad cor-
pus post diem iudicii; ergo multò minus defuit
hæc cognitio Christo Domino, dum erat in hac
vita: alioquin deberes fateri post suam mortem
accepisse Christum in sua anima aliquam scien-
tiam, quam in vita non habuerat, quod videtur
absurdum; ergo habuit ab initio aliquod genus
cognitionis simile Angelis, & animabus separa-
tis, & distinctum à cognitione beata, & à scientia
acquisita per sensus. Hæc est ratio S. Thomæ in
præsentia *art. 2. in corpore, & art. 1. ad 2.* ubi hanc
scientiam colligit omnino ex statu comprehen-
soris, quem Christus habebat, & secundum quem
anima non erat obligata corpori, nec ab eo de-
pendens in suis operationibus, sed similis anima-
bus separatis, & ex hac proportionem colligit qua-
litates, & conditiones huius scientiæ, cuius quid-
ditatem facile erit ex dictis inuestigare.

S. Thom.

Cæterum hæc ratio solum probat, in Christo
scientiam aliquam superiorem, & diuersam ab ac-
quisita, & experientiali; non tamen probat illam
esse supernaturalem entitativè, adhuc enim du-
bitari potest de hac scientia, an sit supernaturalis
in sua substantia, an verò naturalis, & solum su-
pernaturalis quoad modum? Nam, ut vidimus, P.
Vasquez licet concedat, esse supernaturalem in
substantia, quatenus terminatur ad objecta su-
pernaturalia, negat tamen, esse supernaturalem,
nisi quoad modum, quatenus terminatur ad ob-
iecta naturalia, quæ alias possent naturæ viribus
cognosci ab Angelo vel anima separata; quia non
potest explicari in quo differat ea cognitio su-
pernaturalis circa obiectum naturale, ab alia co-
gnitione naturali, quam anima separata posset
habere per speciem propriam, & quidditativam
eiusdem objecti.

7

Communior sententia affirmat, esse superna-
turalem secundum substantiam, prout termina-
tur ad omnia objecta. Ita Suarez in præsentia *diff.*
29. sect. 2. & omiffis aliis rationibus minùs effi-
caciibus probari potest, quia in primis possibilis
est cognitio supernaturalis circa obiectum natu-
rale, ut suppono ex veriori sententia, quam pro-
babimus in tractatu de virtutibus, & habitibus
& quam probavi etiam in materia de gratia; ubi
dixi, actum naturalem, & supernaturalem posse
tendere circa idem obiectum, & differre per or-
dinem ad diuersum principium, ex quo oritur
diuersa ratio formalis sub qua. Quo supposito,
consequens videtur, quod detur de facto in Chri-
sto cognitio supernaturalis circa objecta, quæ
cognoscebat; quod probari potest applicando ra-
tionem supra factam, quæ probauimus necessita-
tem huius scientiæ: nempe ex statu, quem Chri-
stus habebat similem animabus separatis: quo
supposito, colligitur hoc ex natura gratiæ habi-
tualis, quæ constituit subiectum in statu superna-
turali, eleuâtque illud ad superiorem ordinem per
modum radicis, atque ideo est principium opera-
tionum, quæ congruant obiecto, secundum il-
lum statum; cum ergo eleuetur ad statum super-
naturalis

S. Thom.

8

oliva
ctum.

naturalem, debet habere operationes cognoscendi, & amandi proportionatas cum illo statu. Huiusmodi autem operationes, licet in supernaturalitate debeant proportionari cum ipsa gratia, ceterum in modo attingendi sua, obiecta, debent proportionari cum modo naturali, quem habet subiectum in suis operationibus. Hinc enim est, hominem etiam iustum, & ornatum habitibus infusus non percipere obiecta, nisi materialiter, & cum dependentia à phantasmatibus, & ad similitudinem rerum materialium, quia nimirum anima per alligationem ad corpus habet pro eo statu illud modum cognoscendi, intra quæ eleuatur à gratia ad eliciendos actus supernaturales, sed cum eadē imperfectione, & materializatione. Angelus verò, vel anima separata, etiam non haberet beatitudinē, haberet diuersū modum cognoscendi proportionatum suæ naturæ, cognoscit enim substantias separatas in se ipsis, & quidditates rerum per species proprias; quare per gratiā eleuaretur ad actus supernaturales eū eadē proportionē; & ideo Angelus in via, antequam beateretur, habuit actus supernaturales longè perfectiores in modo attingendi obiecta, quàm homo iustus etiam in via, quia nimirum gratia eleuat utrumque ad operationes supernaturales proportionatas utrique secundum suum modum cognoscendi. Igitur in Christo Domino, cuius anima, vt suprà diximus, dū erat vnita corpori, habebat conditiones animæ separata, quoad independētiam à corpore in suis operationibus, debuit gratia eleuare eum ad operationes supernaturales, cum eadē independētia; nam ille erat modus cognoscendi proportionatus cum illo subiecto secundum illum statum; ergo debuit poni in Christo aliqua scientia supernaturalis proportionata cū modo cognoscendi, quem habent Angeli, vel animæ separata, & hæc est scientia per se infusa, de qua disputamus. Neque ad hoc satis erat scientia beata, tum quia actus supernaturales debent esse proportionati cum naturalibus, vt dixi, & actus visionis beatæ non habet hanc proportionem cum modo naturali operandi, sed excedit omnes leges, & modum connaturalem, & accedit quantum potest ad modum perfectissimum, quo Deus seipsum intuetur, & reliqua omnia in se ipso; & ideo quoad illum actum non differunt Angelus, & homo, quia non datur cum proportionē ad ipsorum peculiarem modum cognoscendi: tum etiam quia debemus ponere in Christo, & in beatis actus voluntatis supernaturales proportionatos, quantum est ex se ad impetrandum præmium aliquod supernaturale sibi, vel aliis; ad hoc enim præmium non habent proportionatos actus naturales, vt suppono ex materia de gratia; ac per consequens debemus in his ponere aliquam cognitionem supernaturalem proportionatā, vnde prodeant illi effectus hæc autem non potest esse sola visio beata, cum possint etiam bene, & supernaturaliter operari circa alia obiecta, quæ aliunde occurrunt, & cognoscuntur; debet ergo poni alia scientia supernaturalis præter visionem beatam.

Obiici potest, S. Thomas in præfati art. 4. §. vbi indicat, hanc scientiam fuisse connaturalem animæ humanæ, & ex hoc capite fuisse inferiorē scientiæ Angelicæ; ergo sentit non fuisse supernaturalem secundum substantiam.

Respondetur de mente S. Thomæ satis constare, ipse enim non vult, hanc scientiam esse naturalem, sed esse proportionatam cum modo connaturali cognoscendi, quem habet anima. nam sicut cognitio fidei non est naturalis, & tamen est proportionata cum modo connaturali cognoscendi, quem habet anima alligata corpori, & dependens à sensibus, & ex hoc capite est inferior, quàm cognitio animæ separata, vel etiam quàm cognitio fidei, quam habuit Angelus in via: sic etiam cognitio supernaturalis animæ separata, licet sit supernaturalis, est tamen proportionata cum modo cognoscendi connaturali eadem animæ, & ex hoc capite est inferior, quàm cognitio Angeli, qui connaturaliter cognoscit per species vniuersaliores, & perfectiores, & in hoc sensu potest appellari connaturalis animæ, sicut actus fidei, propter eandem rationem dicuntur ab eodem S. Thom. non esse supernaturales secundum substantiam, sed solum secundum modum 2.2. q. 171. art. 2. ad 3. quod in eodem sensu accipiendum est.

Hac ratione probatur, & explicatur necessitas ponendi in Christo aliquam scientiam infusam; & supernaturalem: ceterum eodem argumento, (vt verum fatear) probari videtur eam scientiam debere limitari, si non ad sola obiecta supernaturalia, vt volebat P. Vasquez, saltem ad aliqua certa obiecta, nec vagari debere per omnia illa, ad quæ scientia naturalis animæ separata potest extendi. Si enim insistendum est in exemplo nostre animæ corpori coniunctæ, certum videtur, eam quantumuis habeat gratiam habitualement, non eleuari ad actus supernaturales intelligendi, aut amandi circa omnia obiecta, circa quæ versari potest per actus naturales; neque enim habet Logicam, aut Astrologiam supernaturalem, sed solum actus fidei, vel eos, qui aliquo modo fidei subordinantur; vel ipsam proximè antecedunt, quales sunt actus Theologiæ, vel prudentiæ infusæ, vt diximus latè in tract. de Gratia, vbi id ex professo probandum erit. Non ergo postulat gratia habitualis, quod homo, vel Angelus, aut anima separata eleuentur ad operandum supernaturaliter in omni genere operationum, in quo possunt operari per actus naturales; sed ad summum postulabit, quod eleuentur ad aliquod genus operationum supernaturalium iuxta proportionem, & modum operandi connaturalem singulis in sua natura, & in suo statu naturali.

Hinc autem oritur difficultas præfens assignandi in Christo, aut in aliis beatis illud genus operationum, quæ eliciatur ab habitu infuso supernaturali. In nobis enim facilius id fit, dicendo, eas esse, quæ aliquo modo pertinent ad fidem; in beatis autem non datur fides, & quidem omnis alia notitia, quam etiam extra visionem beatam habent de Deo, & aliis obiectis, est clara, & euidenter dicere autem, quod omnis notitia, & scientia, quam habent de rebus etiam naturalibus sit supernaturalis, videtur nimium restringere virtutem naturalem intellectus in patria; cum nihil inquam naturali virtute cognosceret, sed omnia per scientiā, & actus supernaturales. Oportet ergo aliquam mensurā, & terminos præfigere scientiæ supernaturali, ita vt naturalis scientia non sit otiosa, sed habeat etiam suas operationes.

In hoc puncto procedendum nobis est solum per

per coniecturas ex iis, quæ contingunt animæ rationali hominis iusti in hac vita; hinc enim investiganda est exigenda, quæ gratia habitualis exigit eleuare subiectum ad operationes, aliquas supernaturales. Et quidem si cum hac proportionem loquendum nobis sit de Angelo, vel anima separata in statu beatitudinis, credibile est, eorum etiam intellectum eleuari ad aliquod genus actuum supernaturalium similium illis, quos naturaliter possunt elicere. Hoc autem actus

Triples genus actuum.

possumus ad tria genera reducere. Primum erit eorum actuum, quibus cognoscunt res supernaturales, nempe gratiam, visiones aliorum beatorum, aut dotes supernaturales; præsentiam corporis Christi in Eucharistia, vñionem hypostaticam, & alia eiusmodi; ij enim actus ex vno capite erunt supernaturales propter supernaturalitatem obiectorum, quæ per ipsos videntur; & ex alio capite erunt similes in modo tendendi illis actibus, quibus Angelus, & anima separata cognoscunt clarè alia obiecta naturalia. Secundum genus erit eorum actuum, quibus cognoscunt obiecta etiam naturalia, sed melius, ac perfectius, quàm per suam naturalem facultatem possunt, v.g. si Angelus inferior, qui per vires sui intellectus poterat cognoscere Angelum supremum minùs perfectè, eleuatur ad comprehendendum illum perfectissimè, vel si anima rationalis, quæ per suas vires non posset comprehendere Angelum, eleuetur ad ipsum comprehendendum; hi enim actus cum non procedant à solis viribus nature, credibile est, quod procedant ab habitu scientiæ infuse supernaturalis. Tertium denique genus actuum esse potest illorum, quibus ex diuina reuelatione aliquid cognoscunt: nam sicut in hac vita sunt supernaturales iactus, quibus per fidem, & magisterium Dei aliquid discimus; sic etiam in patria credibile est, esse etiam supernaturalem illam seriem actuum, quibus ex reuelatione, & magisterio Dei aliquid cognoscitur: non quod ibi sit fides, aut reuelationes obscuræ aliquorum obiectorum, sed claræ, & quæ faciant euidentiam rei reuelatæ in attestante; sed tamen ita vt res reuelata cognoscatur propter diuinam reuelationem, tanquam propter medium extrinsecum. Hi ergo omnes actus possunt esse ex habitu infuso scientiæ supernaturalis, alij autem, quibus facultate, & virtute proprii intellectus cognoscuntur alia obiecta, possunt esse naturales, vt sic vtrique, gratia, scilicet, & natura habeat suas partes, & suas operationes.

12. Actus voluntatis quatuorplex.

De actibus voluntatis consequenter dicendum videtur, aliquos esse naturales, illos scilicet, qui oriuntur ex mera cognitione naturali, aut qui non tendunt in bonum sub ratione honesti, quales sunt affectus simplices amoris, vel odij, gaudij, aut tristitiæ circa bonum conueniens, &c. Loquendo verò de electionibus, aut voluntatibus absolutis, quibus eligitur absolute aliquod obiectum, credibile est, semper esse supernaturales, quia Christus, & alij beati, semper in eiusmodi electionibus habens purissimam intentionem placendi Deo, & querendi eius maiorem gloriam; quare habent pro motiuo saltem partiali bonitatem Dei, quod est obiectum formale charitatis, & nascitur saltem partialiter illa voluntas ex visione clara Dei, vel saltem ex noticia supernaturali eiusdem Dei, quam habent per

scientiam infusam supernaturalem, per quam melius cognoscunt Deum, quàm per notitiam naturalem. Imò quatenus etiam illi actus versantur circa motiua honesta aliarum virtutum, procedent etiam ex noticia supernaturali infusa earum honestatum, nam licet sæpe illa honestas cognoscatur lumine naturæ, & per vires naturales, melius tamen, & perfectius eam cognoscunt per notitiam supernaturalem, quam habent, & qua penetrant magis honestatem illius motiui: credibile ergo est, eiusmodi actus, & electiones absolutas semper esse supernaturales.

Dices, ergo virtutes naturales in Christo, & in beatis erunt semper otiosæ, cum nunquam fiant actus honesti naturales, sed sèper supernaturales.

Respondeo negando sequelam, nam illi actus supernaturales partialiter saltem oriebantur à cognitione naturali talis honestatis, & licet partialiter etiam oriantur à noticia infusa eiusdem, vel alterius motiui, non ideo otiosæ erunt virtutes naturales, quæ simul cum infusis generabant illum amorem, vel affectum bonum. Sicut etiam licet omnes voluntates Christi haberent saltem pro motiuo partiali gloriam Dei, & per consequens pertinerent ad charitatem; non ideo alia virtutes infusæ erant otiosæ in Christo; nam illæ etiam saltem partialiter concurrebant ad eundem actus, quatenus attingebantur per illos, motiua aliarum virtutum; quâdo enim volebat subuenire miseris, volebat ex motiuo charitatis erga Deum, & ex motiuo misericordie erga proximum, atque ideo misericordia infusa non erat otiosa. Sic etiam nec misericordia naturalis erat otiosa, quia volebat illud obiectum propter honestatem misericordie cognitam noticia naturali, & cognitam etiâ melius noticia supernaturali: vtrique ergo noticia concurrebat, & mouebat, cum autem in mea sententiâ habitus acquisiti non sint aliud præter species benè ordinatas, & dispositas, fatendum est, virtutem acquisitam, seu naturalem misericordie concurrere, quoties naturalis noticia honestatis misericordie mouet saltem partialiter ad effectum subueniendi proximo.

Ex dictis oritur secundum dubium circa hanc scientiam; quia si data fuit Christo scientia supernaturalis rerum in se ipsis, eo quod eius anima secundum statum præsentem habebat modum connaturalem cognoscendi res in se ipsis; ergo similiter debuit inesse Christo alia scientia supernaturalis proportionata cum alio modo cognoscendi connaturali; quem simul habebat, scilicet cum dependentia à sensibus, & phantasia, sicut nos cognoscimus, & per consequens debemus ponere in Christo vltra visionem beatam, alias duas series cognitionum supernaturalium, alteram independentem, & alteram dependentem à phantasia.

De hoc dubio nihil dicunt auctores, & ideo quidquid dixeris, non erit contra illos. Debet tamen vnusquisque procedere in hoc consequenter ad sua principia. Quare mihi verisimile apparet, Christum habuisse duas series cognitionum supernaturalium; sicut habuit duas series cognitionum naturalium: imò non solum de Christo, sed de aliis etiam hominibus beatis idè dicendum videtur; habet enim omnes post resurrectionem duas series cognitionum naturalium; altera dependentē à sensibus per species factas ab intellectu agente; alteram independentē à sensibus per species acceptas à Deo qualem

Ensus.

Exclusio.

16. Directio.

14. Dubium.

17. Diffinitio.

15. Inductio.

lem habet anima separata ante resurrectionem; non enim perdunt per unionem cum corpore hunc modum perfectiorem cognoscendi, sed retinent illum, & reacquirit alium modum cognitionis per sensus. Quo supposito, verisimile fit, habere etiam duas series operationum supernaturalium correspondentes duabus naturalibus; alteram scilicet, quam habent anima separata proportionatam cum suo modo connaturali operandi; & alteram, quam habemus in corpore proportionatam cum hoc modo operandi, minus perfecta. Nam sicut in ordine naturae non superfluit altera ex illis cognitionibus circa idem obiectum, sed utraque stat simul, ut anima retineat statum animae separatae, quoad perfectionem illius status, & aliunde habeat operationes communes cum corpore, propter conjunctionem cum illo: sic etiam in ordine gratiae non superfluit altera ex his cognitionibus, gratia enim, ut diximus, eleuat subiectum ad operationes supernaturales proportionatas cum modo connaturali operandi, quem habet. Cum ergo illud subiectum habeat pro tunc duplicem modum connaturalem operandi, gratia debet eleuare illud in utroque modo; non enim est maior ratio, quare eleuet in vno magis, quam in alio, cum uterque sit naturalis; ergo in Christo debuerunt esse operationes supernaturales utriusque generis proportionatae ad utramque seriem operationum naturalium, quas habebat.

Aduertendum tamen est in hoc dicendi modo, hanc seriem secundam cognitionum supernaturalium, quas diximus habere Christum similes nostris, non esse appellandam semper scientiam infusam; quia licet in sua substantia fuerit supernaturalis, sit tamen per species naturales per se acquiras, & dependenter à cognitione sensuum, & phantasiae; scientia autem infusa sonat scientiam habitam per species infusas, vel independentem à sensibus. Quare licet in nobis dentur multae cognitiones supernaturales, quae praerquirantur ad actus meritorios supernaturales; nemo tamen dixit, in nobis dari scientiam infusam ad hoc, ut possimus habere actus meritorios; loquendo tamen de habitibus, ex quibus illae cognitiones oriuntur melius possent dici habitus infusi, quia illi non acquiruntur per sensus, sed infunduntur à solo Deo.

Sed contra hoc genus actuum supernaturalium redit statim eadem difficultas; qui scilicet sunt illi actus supernaturales, qui fiant à beatis cum dependentia à phantasia, neque enim affirmandum est id, de omnibus; sicut neque in nobis sunt supernaturales omnes actus intellectus, qui sunt dependentes à phantasmatibus, sed solum illi qui concernunt fidem, ut supra diximus: in beatis autem, & in Christo, in quibus non est fides, oportet statuere aliam regulam pro actibus naturalibus, & supernaturalibus. Ceterum ex iis, quae diximus circa actus independentes à phantasia potest desumi similis regula cum proportionem ad hoc genus actuum; ita ut in hoc etiam genere sint supernaturales in primis illi actus, qui sunt dependentes à sensibus circa obiecta supernaturalia, qualis est cognitio intellectualis de praesentia corporis Christi in Eucharistia, vel de aliis obiectis similibus supernaturalibus, cognitio, inquam, intellectualis genita per species, & cognitionem sensuum; nam supernaturalitas obiecti non minus probat

supernaturalitatem in hac cognitione intellectuali, quam in illa altera, quae sit independentem à sensibus, cum utraque aequè superet virtutem naturalem nostri intellectus. Possunt etiam existimari fore supernaturales illae cognitiones dependentes à phantasia, quae sunt melius, ac perfectius, quam per solas vires naturae fieri potuissent; potest enim Deus infundere meliorem & perfectiorem notitiam homini de honestate virtutis, aut de alio obiecto, quam posset fieri per cursum rerum naturalem; & tamen quod illa cognitio esset cum dependentia à phantasia, & conciperet obiectum per imagines corporeas. Denique possunt etiam in hoc genere scientiae existimari supernaturales illae cognitiones dependentes à phantasia, quae fundantur in aliqua revelatione Dei, vel concernunt illum; nam sicut in hac vita sunt supernaturales cognitiones fidei, quae fundantur in diuina revelatione, & sicut in illo alio genere cognitionum independentium à phantasia diximus, fore supernaturales eas, quae fundantur in aliqua revelatione clara Dei; sic etiam idem credi potest in hoc genere cognitionum; in quo etiam genere poterunt fortasse reperiri aliquae revelationes, non quidem obscurae, & per consequens non tales, quae generent fidem, sed clarae, licet cum dependentia à phantasia. Nam licet non possit ita facile contingere euidentia revelationis diuinæ cognitae hoc genere scientiae; sicut quando reuelatio cognosceretur independentem à phantasia; non apparet tamen impossibile, quod detur talis reuelatio, quam aliquis expeririatur euidenter esse diuinam, vel propter effectus, vel propter aliquid aliud proprium vocis diuinæ, quod in se experitur, qualem fortasse habuerunt aliquando Prophetae; & tunc dici posset, in beatis reperiri etiam posse eiusmodi revelationes, in quibus fundentur cognitiones supernaturales dependentes à phantasia.

De actibus voluntatis correspondentibus huic scientiae; eodem modo dici potest, eos omnes esse supernaturales, qui ab ea scientia supernaturali procedunt; quando verò non oriuntur ab illa scientia supernaturali, sed à sola cognitione naturali illorum obiectorum, tunc actus voluntatis erunt merè naturales. Ceterum sicut de alio genere actuum diximus supra, voluntates, & electiones absolutas semper in Christo, & in beatis esse supernaturales; sic de hoc genere actuum dicendum videtur, propter easdem rationes, semper enim dependent ab aliquo motiuo saltem partiali cognito per aliquam notitiam supernaturalem.

Hinc infero primò, cum eadem probabilitate ponendas videri in Christo duas series virtutum etiam supernaturalium ex parte voluntatis sicut ponitur duplex series operationum ex parte intellectus; nam sicut diuersus modus attingendi idem obiectum, sufficit ad diuersitatem cognitionum ita ut sit diuersa specie cognitio humana, quae attingit, v.g. Angelum independentem à sensibus, & in se ipso quidditatiue, ab ea, qua attingitur per species rerum materialium; & dependenter à sensibus; sic etiam videtur sufficere ad diuersitatem actuum voluntatis, ita ut ad primam cognitionem sequatur amor Angeli specie, diuersus ab eo, qui sequitur ad secundam cognitionem: eadem enim diuersitas obiectiua reperitur in obiecto voluntatis, & obiecto intellectus, neque voluntas

voluntas habet aliud obiectum, aut alio modo, quam intellectus; quare si cognitio repræsentat obiectum commune, & præcise ab inferioribus, voluntas etiã terminatur ad obiectum commune, & præcise; si cognitio repræsentat obiectum confusum, seu instar rei materialis, voluntas etiã fertur cum eadem confusione, vel ad obiectum instar rei materialis, neque enim voluntas potest sibi aliud obiectum, vel alio modo, nisi quomodo inuenit ab intellectu proponi; ergo omnis varietas obiectiua, quæ sufficit ad varias cognitiones, sufficit ad variandos amores, & per consequens amor consequutus ad cognitionem quidditativam, videtur esse amor quidditativus, ut ita dicam, & perfectior; amor verò consequutus ad cognitionem abstractivam, vel confusam, videtur etiam esse amor abstractivus, vel confusus cum eadem proportionem. Cum ergo Christus habeat illas duas series cognitionum, habebit etiam alias duas series amorum illis correspondentes.

20 Scio, aliquos aliter sentire, vel supponere, dum censent, eundem numero actum amoris Dei, quem iustus elicit in via ex fide; posse perferre in patria ex visione clara Dei: ceterum id mihi difficile est, nam, ut prædixi, diuersitas, quæ reperitur in obiecto fidei, & visionis beatificæ, eadem reperitur in obiecto amoris nostri, & amoris beatifici, cum non possit aliter, vel clariùs, aut immediatius ferri voluntas in obiectum, nisi, ut proponitur per intellectum; quare sicut illa varietas obiectiua variat cognitiones, sic debet amores ipsos variare.

Effugium. Dices: Possim ego cognoscere obiectum per cognitionem intensionem, & tamen elicere amorem remissum, vel è contra; ergo non debet reperiri in amore omnis modus, quo cognitio attingit obiectum.

Præcluditur. Respondeo, duplicem modum tendendi ad obiectum posse considerari in cognitione; alterum tenentem se præcise ex parte cognitionis, qualis est intentio, vel remissio, & hunc non oportet reperiri æqualiter in amore; alterum tenentem se aliquo modo ex parte obiecti, ut confusio, claritas, immediatio, &c. hunc necesse est refundi etiam in amorem. Diuersitas verò huius duplicis modi apparet in visione beata, quæ quidem ex eo, quod sit intensior, non videt plus de obiecto primario, aut secundario, ut suppono ex materia de visione; si verò sit magis distincta, apparet obiectum aliter ex parte obiecti, ita ut possit beatus reddere rationem de pluribus Dei perfectionibus obiectiuis, & de pluribus obiectis secundariis, & consequenter correspondet etiam voluntati Deus distinctius, & plures perfectiones diuinæ amatæ cum eadem distinctione. Quia ergo cognitio Dei in via, & in patria habent diuersum modum, non solum tenentem se ex parte solius actus, sed etiam afferentem varietatem obiectiua, hinc est, amorem etiam vtriusque status debere habere eandem diuersitatem, ut probauimus.

21 An verò ex diuersitate horum actuum arguatur etiam diuersitas habituum; & per consequens sit ponenda diuersa numero charitas in patria à charitate viæ, non est huius loci ex professo examinare. Sanè ex principiis positis verisimiliter arguitur distinctio habituum: nam sicut diuersitas hæc in cognitionibus arguit di-

uersos habitus supernaturales, quorum vnus terminetur ad obiecta in seipsis; alius verò ad obiecta per species alienas, & dependenter à sensibus; ita in voluntate videtur seruanda eadem proportio, non solum actuum, sed etiam habituum supernaturalium. Neque est aliquid inconueniens ponere in beatis alium numero habitum charitatis ad diligendum Deum; sicut ponitur nouus habitus ad cognoscendum. Quando verò dicitur ab Apostolo, quod *charitas nunquam excidit*; non est necesse intelligi de hoc habitu numero charitatis, quem habemus in via, sed de charitate in genere, hæc enim semper manet in via, & in patria, ut bene obseruauit P. Corninch. in tractatu de charitate, disp. 23. num. 10. imò & hic numero habitus, quem habemus in via, manere etiam potest in patria ad diligendum Deum, non prout visum clarè, sed prout repræsentatur per alias cognitiones supernaturales factas cum dependentia à sensibus, quales diximus fuisse etiam de facto in Christo Domino.

Dubitari potest, an sicut illi habitus distinguuntur, sic etiam distinguantur semper eorum actus; ita ut ex visione Dei clara nunquam oriatur actus amoris pendens ab habitu charitatis, v. g. quo amamus Deum conceptum per imagines corporeas; neque è contra ex cognitione Dei per imagines corporeas oriatur vnquam amor Dei pendens ab habitu charitatis, quo diligitur Deus clarè vsus? Ratio dubitandi potest sumi ex adèd diuerso modo tendendi in obiectum, & ex diuersis principiis, tam ex parte habitus, quam ex parte cognitionis, à quibus oriuntur illi amores. Adhuc tamen non video repugnantiam in eo, quod vnico actu amoris respondeat voluntas vtrique cognitioni, atque adèd quod vterque habitus influat simul in illum actum, singuli tanquam causæ partiales illius, imò videtur conaturalior hic modus operandi, quam si singulis cognitionibus correspondere diuersi actus amoris; sic enim experimur, quod propositis nobis multis rationibus, & titulis ad amandum aliquod obiectum, prorumpimus tandem in vnicum actum amoris propter illa omnia motiua. Item beati, qui vident creaturam aliquam indirectè in Verbo, & vident illam etiam directè in se ipsa, possunt amare vnico actu amoris illam creaturam propter eius bonitatem vtroque modo cognitam illa duplici cognitione. Cur ergo non poterit idem beatus vnico amore tendere in Deum propter eius bonitatem cognitam vtroque modo? tunc autem Deus obiectetur voluntati vtroque etiam modo, scilicet in se ipso immediatè, & ad similitudinem rei corporeæ, vel creatæ; quare vterque habitus concurret ad illum actum, atque ideo, licet hæc duplices virtutes in beatis distinguantur realiter quoad habitus, & quoad actus, tamen sæpe non distinguuntur realiter, sed solum nomine, secundum diuersas formalitates eiusdem actus.

Infero secundò, quomodo differat hæc scientia infusa Christi à scientia infusa, quam habuit primus parens; illa enim licet fuerit infusa à Deo, non tamen fuit similis scientiæ Angelo

Angelorum, vel animæ separatæ in modo tendendi ad objecta, sed similis scientiæ humanæ, & dependens in sua operatione à phantasia, ac proportionata cum modo cognoscendi, quem habet anima, dum est in corpore, quod non habuit scientia per se infusa, quam habuit Christus. An verò scientia Adæ differat etiam aliquo modo à scientia acquisita, quam nos de facto exercitio, & studio, comparamus dicemus *disput. sequenti.*

SECTIO II.

De objecto scientiæ infusæ.

14 **N**on est sermo de scientia illa supernaturali quam diximus habere Christum dependentem à sensibus; hæc enim regulanda ferè erit per scientiam acquisitam, de qua *disput. sequenti.* sed solum loquimur de scientia infusa independenti à sensibus; cuius obiectum partim coincidit cum obiecto scientiæ etiam naturalis independentis à sensibus, & phantasia, quam Christus habebat admodum animæ separatæ, quod tamen melius cognoscitur per scientiam illam supernaturalem partim verò illud excedit, quatenus terminatur ad aliqua entia supernaturalia in se ipsis, ad quæ non poterat terminari scientia naturalis, & ad aliqua reuelata per reuelationem claræ, quæ nullo modo cognoscebantur per scientiam naturalem.

Hoc supposito, dubitatur primò, an per hanc scientiam cognoscat Christus res naturales existentes? Negant Scotus, & alij apud Suarez *disput. 23. sect. 1.* quia licet concedant Christo notitiam horum obiectorum, non tamen per scientiam per se infusam, sed per infusam per accedens, & similem acquisitam. Annumerari etiam potest P. Valquez *in præfati.* quia licet ponat scientiam infusam Christi terminari ad omnes res naturales existentes; dicit tamen, illam esse entitativè naturalem, & similem scientiæ, quam habet anima separatæ, quia obiecta sunt purè naturalia.

17 Communis sententia fatetur, hæc omnia pertinere ad obiecta scientiæ per se infusæ, quam habuit Christus: ita Suarez *ubi supra.* & alij communiter. Probatur ex opposito fundamento; quia non repugnat, scientiam supernaturalem terminari ad obiecta naturalia, sicut scientia diuina terminatur ad obiecta creata etiam in seipsis, vt suppono ex materia de scientia Dei, & de facto elicimus actus supernaturales virtutum ex motu, quod ex se posset terminare actum naturalem, vt in *tract. de Gratia* latè probauimus; ergo oportuit scientiam infusam Christi terminari ad obiecta etiam naturalia; & cum aliunde sint in Christo thesauri omnes sapientiæ, & scientiæ Dei, non est negandum habuisse saltè notitiam rerum existentium.

21 **D**ices, in aliis iustis datur cognitio supernaturalis orta etiam ex exigentia gratiæ habitualis, vt possint elicere actus voluntatis supernaturales, & meritorios; & tamen hæc cognitio supernaturalis non extenditur ad omnia obiecta, quæ cognoscuntur per actus naturales; non enim cognoscimus per actus supernaturales obiectum Mathematicæ, vel Astrologiæ; sed obiecta honesta,

quæ possint terminare actus meritorios; ergo neque in Christo debuit scientia supernaturalis terminari ad obiecta omnia naturalia, quæ aliàs sufficienter cognoscebat per scientiam entitativè naturalem independentem à sensibus, quia eandem proportionem debuit habere in Christo scientia infusa ad scientiam naturalem independentem à corpore, quam habet in nobis cognitio supernaturalis cum scientia naturali, quam habemus dependentem à corpore.

* Responderi posset negando consequentiam; quia sicut in Christo ratione vnionis ad Verbum scientia naturalis extenditur ad plura obiecta, quam posset alias naturæ viribus cognoscere; sic etiam scientia supernaturalis ratione eiusdem vnionis debuit extendi ad plura obiecta, quam aliàs ex præcisâ exigentia gratiæ deberet cognoscere: nos autem præcisè habemus id, quod ex exigentia, vel congruitate ipsius gratiæ, vel cum proportionem ad hanc mensuram dandum erat.

Dices iterum, obiectum supernaturale non potest quidditativè cognosci per scientiam naturalem; ergo neque è contra obiectum naturale per scientiam supernaturalem.

Negatur consequentia, ratio discriminis est, quòd in secundo nulla sit repugnantia, primùm autem repugnat, quia illa cognitio supponere deberet per se aliquid supernaturale; & per consequens ipsa debet esse supernaturalis. vt probabo *sect. 5.* pro nunc instatur argumentum in obiecto materiali, quod potest quidditativè cognosci per cognitionem immaterialem, & non potest è contra obiectum immateriale per cognitionem materialem.

Adhuc tamen contra hanc communem sententiam urget scrupulus, quem *sectione præcedenti* proposuimus, quia hac ratione videtur tolli à Christo omnis scientia, aut cognitio naturalis; quod idem argumentum fieri potest de Angelis beatis, & animabus etiam separatis beatis. Nam, si Angelus Gabriel, v. g. per scientiam infusam supernaturalem cognoscit essentiam Leonis & aliarum rerum naturalium, pro vt eas naturali lumine posset cognoscere, solumque sit differentia in eo, quòd entitas cognitionis sit supernaturalis, videtur iam omnino superflua illa alia scientia naturalis de iisdem obiectis. Imò videtur esse contra ipsam experientiam, quando enim nos habemus actum supernaturalem fidei, vel temperantiæ infusæ, non experimur, nos habere tunc duplicem actum, quo credamus, vel velimus illud obiectum, vnum naturalem, alterum supernaturalem, sed vnicum, & simplicem: & tamen obiectum ipsum, quantum est ex se, tale est, vt potuisset terminare actum naturalem, vt probauimus latè in *dicto tractatu de Gratia.* ergo non sufficit possibilitas actus naturalis circa tale obiectum, ad hoc, vt deatur simul cum actu supernaturali circa idem obiectum. A posteriori etiam arguitur, non dari in nobis illum duplicem actum simul, quia si daretur, vterque esset meritorius de condigno, cum vterque esset honestus; alter quidem esset meritorius præmij supernaturalis; alter verò esset etiam meritorius de condigno præmij naturalis, cum esset in homine iusto rectitudo sine naturali, quæ sufficit ad illud genus meriti; quare ultra præmium

Excluditur.

Alia enasfo.

Rejicitur.

27
Scrupulus contra communem.